

*nuiusimum*, quod siccum habeo ex Italia, parvum, spithameum, tenuissimum; nec novi quomodo hoc crescat in solo sicco, arido, arenoso, forte excresceret in altitudinem juncei, et eadem evaderet species.

Nº 3. rarissima planta est *Bupleurum leporinum*, involucris involucellisque pentaphyllis, foliis lanceolatis. Hoc ab authoribus mixtum fuit cum praecedente, est autem certissime *Auricula leporis umbella lutea* Bauh. *hist.* 3. p. 200.

N. 2. videtur mihi nil aliud esse nisi pusillum specimen *Cardamines amarae*.

N. 6. *Galium uliginosum* nisi me omnia fallant, erit vulgatissima apud nos planta.

N. 5. Galium videtur vulgatissimum, sed desunt flores, videtur similis Mollugini.

*Euphorbia* degener, solet esse varietas *Euphorbiae Esulae*.

Habeo et ego *Annonas*, *Tamarindum*, *Cassias*, *Poincianam*, *Coccolobam*, *Triumfettam*, *Erythrinam*, *Parkinsoniam*, *Malpighiam*, *Psidium*, *Sapindum Saponariam*, *Morindam*, *Bixa* etc. non vero Plumieras, Tabernaemontanam, Dracontium, Agaven viviparam, Passifloram quadrangularem.

Dulcissima acceptissimaque erant *semina* ista *indigena*, tamdiu frustra a reliquis amicis expetita; utinam aliqua ex Tuis exoticis nobis progerminarent. Doleo quod Gen. D. Comes Barech non ad me mittat semina antequam siccentur et pereant, quae mihi omni auro chariora. Pulchre delineasti quomodo Crotali erigant crepitacula. noluissem hos alere hospites. Si dedisses Leguano insecta et minora amphibia certe vixissent. Graphice de Clusiis scripsisti.

Tempus vetat plura. Die 23. solvebantur fluvii a glacie, accessit Motacilla alba et Bana horaria accessit, Corylus et Tussilago et Galanthus unice florent.

Plura semina proxime mittam.

Upsaliae 1700, d. 25. Aprilis.